

latio sit ; propria autem atque frequentior significatio ab argento est, & ita quoque hoc loco accipitur. *Germanica* vox Silber / nonnullis à *Sulphure* tanquam materia videtur deducta , quibus nec *Mathesius* contradicere cupit. *Græca* est ἀργός, ab ἀργός ratione coloris albi translata. *Hebraica* כסף eò quod homines argentum ament, cupiant ac venerentur. Atque sic *inscriptionis Germanicæ* ratio patet: Das Erzgebürgische Silber, Bergwerck. Puta iterum, quatenus hodie ad territorium *Serenissimi Saxoniae Electoris* pertinet. Et hæc de *Onomatologia* sufficiant.

PARTIS GENERALIS

CAP II.

De

Hermundurorum Metallurgiæ argentariæ Pragmatologia.

S U M M A R I A.

§. 1. *Pragmatologia* partes recensentur , ubi *existentia metallurgiæ arg.* probatur tum §. 2. *generaliter*, tum §. 3. *specialiter* ex *metallurgiâ Freibergensi*, tanquam §. 4. *primâ Hermundurorum*, item §. 5. *Schneebergensi*, §. 6. *Annebergensi*, §. 7. *Mariabergensi* & §. 8. *Wolckensteinensi*, aliisque, Hinc §. 9. *distinguitur* partim à *qualitate in fodinam* & *mensuram*, partim à *quantitate* §. 10. *quæ vel diversa est in mensuris* & *fodinis*, vel eadem, in partibus in *Ruxen*. Tandem §. 11. *describitur per artem*, quæ *mechanicæ similis est*.

§. I.

HÆc non circa nomen, sed circa rem ipsam est occupata, continetque tres *questiones*: *Prima* est, an detur *Metallurgia talis*; *altera*, quid sit, exponit; *tertia*, quotuplex sit, distingvit. Has expediemus ordine.

§. 2. De *existentia Metallurgiæ Hermundurorum argentariæ*

B 2

hodie